



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

XXII. Ss. Mauritii & Soc. MM. dup.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)

Die XXII. Septembris.

SS. MAURITII & SOC. MM.

Duplex Diœces.

*Omnia de communi plurimorum
Mart. præter propria.*

Oratio.

Annue, quæsumus, omnipotens
Deus, ut Sanctorum Martyrum
tuorum Mauritii & Sociorum ejus
nos lætificet festiva solemnitas: ut
quorum suffragiis nitimur, eorum
natalitiis gloriemur. Per Dominum.

Lectioes I. Nocturni, de Scriptura.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Mauritius insignis Christi miles,
Theobanæ legionis primiceri-
us, cum Maximiano Augusto, Dio-
cletiani in Imperio collega, in Gallias
proficiscitur ad sedandas seditiones,
quas rusticani Amando & Æliano
ducibus excitaverunt. Quod ut pro-
sperè cederet, jubet Imperator ad
Agaunum consistens in finibus Sedu-
P. Autumn. O norum,

norum, omnes milites sacrificiis & victimis immolandis interesse, quibus deos sibi & exercitui propitios mereretur. Edictum Imperatoris rescientes prædictæ legionis milites, quos omnes Marcellinus Papa Româ transeuntes, sacro fonte tinxerat, se invicem ad fidei constantiam cohortantur, sibi proponentes firmiter potius proprium sanguinem fundere, quàm victimarum sanguinem demonibus, eorum sacrificiis coinquinari. *Re. Sancti tui.*

Lectio V.

His acceptis Maximianus Imperator irâ excandescens, quosdam ad Mauritium & Socios præmittit satellites, qui suo nomine nuntiarent, ut si salvi esse vellent, in castra redirent, & sacrificiorum, quæ ipse Jovi & Marti paraverat, fierent participes. Unanimi consensu & voce responderunt Christi confessores, ad bello:

bello:

bellorum usum paratam esse legionis virtutem; ad committenda verò sacrilegia, sicut Cæsar præceperat, se religione Christianâ, quæ unum & verum Deum agnosceret, impediri. Quorum responsum indignè ferens Maximianus, majori iracundiâ, quàm antea exarsit. *R. Verbera carnificum.*

Lectio VI,

Itaque immisâ parte exercitûs in Thebæos, decimum quemque eorum primùm occidi iussit, quo cæteris terrorem incuteret. Eam ignominiam constanti animo, hortante Mauritio, ferre maluerunt, quàm nefandis sacrificiis contaminari. Post alteram decimationem nihil se proficere videns Imperator; omnes constantissimè Christum prædicantes ab universo exercitu trucidari imperat. Quod martyrium mirâ patientiâ subierunt gloriosi Christi milites decimo Kalendas Octobris, anno salu-

tis ducentesimo nonagesimo septimo. Victor autem veteranus illuc fortè transiens, cùm invitatus nollet cum persecutoribus sociari, qui de cæforum spoliis epulabantur, & dolens quòd in illâ legione militare non meruisset: Christianum clarâ voce se esse confessus, à persecutoribus obtruncatur: Cæterisque Martyribus sicut morte, ita honore conjunctus est. *R.* Tamquam aurum.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evang. Cum audieritis. de communi.

Die V. Octobris.

S. MEINOLPHI CONFESSOR.

Duplex Diæces.

Omnia de communi Confessoris non Pontif. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos annuâ S. Meinolphi Confessoris tui solemnitate lætificas; concede propitius: ut cujus natalitia colimus, per ejus
ad